

De Albo Salviani et Farra.

TAB. XXX.

9. 10.

*Aldrovand.
de Piscibus*

l. 5. c. 55.

Albus Salviani, *Capito lacustris* Gesneri est. Quamvis Squalo Alburnove appellato pisci perfimilis sit, ab eo tamen evidentibus quibusdam notis facile internosci potest. Primum enim etsi uterque latitudinis ratione oblongus appareat, eadem nihilominus utriusque existente latitudine, Albus paulo longior Alburno conspicitur. Deinde rostro acutius, oculis maioribus ac dorso magis repando Albus est. Nam cum Alburni sensim atque modice, Albi repente ac plurimum a capite extuberat *dorsum*. Pinnarum autem tum in lateribus, tum in dorso ac in imo ventre existentium, situ ac numero ei cum Alburno conveniente, earundem colore ab invicem discrepant: subnigras enim Albus: subrufas vero Alburnus eas habet. Postremo amplioribus *squammis* albus tegitur. Ventreque atque lateribus, aequae atque Alburnus candidus atque argenteus est: capite vero ac dorso magis quam ille subviridis. Magnitudine non differunt. Uti enim Alburnus, sic et Albus pedalis, frequens: bipedalis vero aliquando tantum reperitur. Lacustris piscis est, non tamen in lacubus omnibus aut eorum quam plurimis, ut Tinca, Lucius, Squalus ac Barbus, sed eorum nonnullis solum reperitur. In Trasymeno enim lacu, ubi etiam Albo vulgo vocato, frequens satis in fine veris *capitur*. In fluminibus eum reperiri

huc usque non observavimus: estque advertendum, ne quispiam eum in fluminibus etiam reperiri contendens, Squalum pro Albo nobis ostendat, in mari nec nascitur, neque ex lacubus fluminibusve ad id descendit. Duram *carnem* habet Albus, et propterea aegre coquitur. Insuper adeo est, ut piscium omnium jure vilissimus censeatur. Nec enim ulla condiendi ratione sapidus effici potest. Torrefactus tamen paulo minus ingratus est palato, solumque in aliorum piscium penuria eo vesci solemus.

FARRA, Fora et Pala quoque dicitur. Lavaretos vel Thrissas refert, ut scribit Rondeletius, magnitudine cubitali, ore parvo, sine dentibus ut in Thrissis, colore cinereo, corpore depresso et lato, *squammis*, pinnarum situ et numero Lavaretis similis, linea a branchiis ad caudam recta et candida ducta est. Pinnulam dorfi mollem pinguemque habet, caudam latissimam. *Carne* est candida et suavi, quae Lavaretorum Truttarumque carni non cedit.

Aestate et autumno *capitur*, hyeme in altis gurgitibus latet. Sale conditur et fervatur in hyemem. Sic ille. Caeterum monendus est Lector, in Rondeletii codicibus diversum piscem, quem in Lemano Vangeronem vocant, huic capiti haud recte per librariorum incuriam praefigi.

TAB. XXV.

11. 12.

*Aldrovand.
de Piscibus
l. c. cap. 56.*

CAPVT VII.

De Pigo, et Schilo.

TAB. XXX.

13. 14.

*Aldrovand.
de Piscibus*

l. c. cap. 57.

Pisces, quem descripturi sumus, Verbanus Lariique lacus accolae *Pici*, *Pigi* et *Picqui*, quod clavis suis seu aculeis pungat, nomen imposuere. Rondeletius *Cyprianum clavatum*, Albertus *Vergiliadem*, quod Vergiliarum ortu apparent, dixit. Cypriano, describente Rondeletio, ita est similis, ut demptis aculeis Cyprianum esse affirmes. Est enim eo-

dem corporis habitu, pinnae totidem eodem in loco sitas, os, oculos, eodem modo carnosum, interna omnia similia habet. Vita item, moribus, sapore, succo Cypriano similis, nisi quod paulo melior est. *Salvianus diligenter sic descripsit*. Pigus piscis est capite rotundo: rostro obtuso, nec admodum extento, ore mediocri et edentulo.

Bran-